

M. BOVDEWYN S  
Medic. & Phylosophiæ Doct.

*De Origine, & Prastantia Pharmaciae.*

*P R A E F A T I O.*

 Vidquid de Medicinæ inuentione vel fabulentur Poetæ , vel hallucinentur Historici , mihi firmiter persuasum habeo , Medicinam cum primo Homine, per illum à quo omnis medela , naturæ Auctorem in mundum intrasse. Corporis Medicina si altius rerum originem repeatas (inquit S. August.) non inuenitur vnde ad homines manare potuerit , nisi à Deo , cui rerum omnium status , salusque est tri-  
De Civit. lib. 3. c. 13. & 37.  
buenda : & Suidas cum varias Adami dotes , virtutesque enarrasset , neque verò hīc (addit) Primo- geniti hominis substitit excellentia & dignitas , sed & seminum , stirpiumque discrimina , radicum , & herbarum vires , & quæ defensionis , ac Medicinæ causā , cuiuis animanti natura tribuit , distinxit , & explicauit . Fruētus enim erant in cibum , & folia in me-  
Ezech. cap. 47. v. 12.  
dicinam . Ab Adamo autem interualla constitui pos- sunt ( vt benè censem Heliicus ) ad Iacob usque , per quæ continuata fuit celestis doctrinæ successio . Post diluvium enim cum Cham Noë filio simul in-

## PRÆFATIO.

1800. Syriam & Aegyptum demigravit, è cuius posteris  
Baetrianorum Rex Zoroaster, ita in illa excelluit, vt  
2000. Polid. Virgil. Francisc. Patricius aliquie Magiam natu-  
ralem ab illo tradant esse repertam; imo ars Me-  
dicinæ tunc temporis tam communis facta, vt Ta-  
2140. <sup>Liv. de</sup> morib. <sup>German.</sup> catus narret sèculo proximè subseguente, etiam  
<sup>Francis.</sup> mulieres illam exercuisse, quarum officium erat  
<sup>Patric.</sup> vulnera exugere, inquit, & sanare: vnde & militiam  
<sup>lib. 2. de</sup> ab Hermione Germanorum Rege sequi iussæ.  
<sup>Republ.</sup> Aegyptij nihilominus erga Reges suos nimium su-  
<sup>cap. 3.</sup> perstitiosi, Medicinæ inuentionem *Api* (qui etiam  
2200. *Osyrus* & *Serapis* dictus erat) Arguorum Regi adscri-  
bebant, eumque *Jacob* Patriarchæ constat coæta-  
neum fuisse, penes quem (vti & alios populi seniores  
& Primates familiæ) Medecinæ secreta semper fuen-  
runt reseruata, & hi ad ægros non solius familæ, sed  
totius prosapiæ accersiti, opere illos, & consilio iuuabant,  
cum nullus, rudiore isto tempore, adhuc  
<sup>lib. 29.</sup> particularem eius professionem faceret, ita vt *Plm.*  
„Senior dicat: multa millia gentium sine Medicis  
quidem degere, non tamen sine Medicina: cuius  
ampliora testimonia, imo antiquiorum Prædeces-  
torū per singula sæcula, vsque ad hæc tempora no-  
stra continuatam seriem forte tractatu expresso in  
lucem dabimus, nunc breuitati intentis sufficiat,  
25:5. Cadmum Europæ fratrem hanc cum alijs Litteris,  
tum

## PRÆFATIO.

tum Artibus è Phænicia in Græciam asportasse, &  
ex illa per *Saturnum*, Iano in Latio succendentē; non  
horti, aut agri dumtaxat, sed & ingeniorū artium-  
*In p. in.*  
*lib. 47.*  
que omnium culturam à Græcis accepisse Italiam:  
quibus clarum sit præclarissimam hanc Artium  
(cuius Doctor nempe Medicus omnipotens, Adam  
discipulus, & Schola fuit Paradisus) primò ab Æ-  
gyptijs ad Græcos, tum ad Aborigines & Latinos,  
hinc ad Romanos, ac per hos demum, Arabesque ad  
nos esse deuolutam. Erat autem priscis temporibus  
Ars hæc & scientia nisi Rhisotomia, tota & sola in  
plantarum, herbarumque cognitione consistens,  
vnde ex primis Græcis Medicis Apollo sese apud  
Ouid. Iactat.

*Inuentum Medicina meum est, genitorque per orbem  
Dico, & Herbarum subiecta potentia nobis ;  
Hei mibi quod nullus amor est medicabilis herbis!*

Quia in illarū expressione & succo, vltimos Mede-  
cinæ terminos statuebant, ita vt vltra illos nihil me-  
dicaminis haberetur; nec debebat; nam sicut nulla  
Orbis plaga (vt iam ostendi) à morbis immunis, ita  
nec vlla pars terrarum remedijs destituta: Ne siluæ  
*In epist.  
dedic.*  
„quidem horridiorque Naturæ facies medicinis ca-  
„ret, ait Plinius, sacra illa parente rerum omnium *Lib. 24.*  
„nusquam non remedia disponente homini: vt  
„Medicina ( forte : *Medica officina* ) fieret etiam  
„soli-

## PRÆFATIO.

„solitudo ipsa, ad singula illius (mala) discor-  
„diæ, atque concordiæ, miraculis occursantibus.  
„Hæc (ex filiis, pratisque defumenda) sola, naturæ  
„placuerat esse remedia parata, vulgo inuentu fa-  
„cilia, ac sine impendio, ex quibus viuitus....  
„Cum remedia vera pauperrimus quisq; cænet, ita  
ille: Enimuero similia tunc temporis in *morbo auxilia*  
quasi, & singularis cum singulari mali certamine,  
abundè poterant sufficere, quia ut pro more suo,  
„optimè *Seneca*: Ne opus quidem adhuc erat dili-  
„gentibus remediis. Nondum in tantum nequitia  
„surrexerat, nec tam latè se sparserat: poterant vi-  
„tis simplicibus, obstante remedia simplicia: nunc  
„necessæ est tanto operosiora esse munimenta,  
„quanto valentiora sunt, quibus petimur: & tan-  
„dem exclamat: innumerabiles esse morbos mira-  
„ris? coquos numera, quos vñus venter exercet.

*Fpist.*  
95.

*Pathol.*  
*lib. 1. c.*  
14.

Hinc, illæ lachrymæ; nam ut rectissimè *Fernelius*,  
vna gula omnium est propè morborum mater,  
etiam si aliis est pater. Hinc morbus, non ut Anta-  
gonista singularis, sed instar hostis communis ce-  
pit hominem turmatim aggredi: hinc

.... *Macies, & noua febrium*

*Terris incubuit cohors:*

*Semoiique prius tarda necessitas*

*Lethi, corripuit gradum.*

*Horat. 1.*

*Carmen.*

*Ode. 3.*

„Et

## PRÆFATIO.

„Et Poëta fidem denegantibus ait *Chrisostomus*; Homil.  
„An non videtis quotidie ex sumptuosis mensis, & 10. in  
Genes.  
„incommoda ingluie infinita morborum gene-  
„ra induci? vnde Podagræ? vnde Capitis dolores?  
„vnde corruptorum humorum abundantia? vnde  
„innumeris alij morbi? nonne ab intemperantia  
„vnde sequitur facile Mors. Similia fere habet  
Galenus, filios huius mundi, filios gulæ appellans. In 6 A-  
Clem. Alexandrinus lib. 2. Pedag. cap. 1. Petrus Chrysol. Orat. phorisi.  
de inglu. & ebriet. & S. Scriptura locis innumeris.

Vnde factum est, ut prioris æui Medici, à solis Dijs Vide ho-  
immortalibus morbos immitti opinantes, simpli- mer.  
cissima illis remedia ex Herbarum expressionibus, Corn.  
decoctionibus, & succis adhibere consueuerint, de Cels.  
de quibus omnium primi scripsisse feruntur *Escula-* Francis.  
*pius & Orpheus*, idque circa Annum mundi 2730. & Patric.  
tandem Rex, & sapientissimus Hebræorum Salo- Greg.  
mon à patre luminum diuinitus iustru&tus Anno thelos.  
ab Orbe condito circiter 2950. disputauit super lignis à 2950.

*Cedro* quæ est in Libano, usque ad *Hyssopum* quæ egreditur  
de pariete, & differunt de iumentis, & reptilibus, & piscibus:  
Cumque Ptolomæus Phyladelphus Ægyptiorum 3. Reg. 4.  
33.  
Rex in litteris munificentissimus insignem Alexan-  
driæ Bibliothecam, Demetrij Phalerei operâ, om-  
nium primus instrueret, septuaginta Iudæorum se-  
nioribus in illum finem in Ægyptum accitis, cum  
d toto

## PRÆFATIO.

toto vetere instrumento, ab Eleazaro summo Pontifice impetrato, hebraica hæc Salomonis scripta in Græcam linguam transferri curauit, sicuti *Aristæus*, tunc temporis præsens, scripto reliquit; contigit hoc autem circa Annum mundi 3690. Quo factō tam multa medicaminum secreta, herbarum virtutes, partium animalium proprietates, & infallibilia populo suggestis remēdia, vt peruersi & gri Dominum Deum suum prætereuntes, ad Herbarium hunc Regium, tanquam ad asylum salutis recurrerent, proprijsarti suæ, & scientiæ, non Dei beneficio sanitatem adscribentes, vti septingentos ante annos, Rex Asa fecerat Salomonis ex Abia ab nepos, de quo dicitur Paralipp. 2. 16 *Nec in infirmitate sua quæsuit Dominum, sed magis in Medicorum arte confisus est.* Vnde cum tantæ impietatis, & abusus occasionem se per hanc translationem populo dedisse scrupulosius veretur Ptolomeus, reuocans amplissimum beneficium, libros de rebus naturalibus, & precipuè Medicis agentes, nō sine maximo mortalium damno Vulcano deuorandos dedit, vt ingratiti & grati, atque Dei beneficij immemores, non ad instrumentum, sed diuinum Artificem, non ad causam secundam, sed primum bonorum omnium Auctorem imposterum recurrerent, vnde factū est ut ex Trecentis quæ Salomon conscripsit volumini- bus,

In Histor.  
d: bac  
ipsa re.  
3690.

## PRÆFATIO.

bus, tantum quatuor, aut quinque hodie supersint,  
reliquis in cineres redactis. Verum hanc, vel sanguini-  
nes lachrymis deplorandam pretiosissimi thesauri,  
iacturam præuidens ille, qui propter nos, & propter no-  
stram salutem descendit de Cælo, ut saluum facheret, quod pe-  
rierat, iam à duobus sæculis aliud humanæ infirmi-  
tatis solatiū in Græcia præmiserat Hyppocratem,  
in cuius doctissimis scriptis, maiore truncō iam  
igne consumpto, tanquā in alia caudice adhuc Me-  
dicinæ scientia floreret, quæ hærede surculo planta-  
rum, quæ postea morituræ erant, orbitatem pelle-  
ret; nam hic cum medicamenta simplicia, malis ex  
hominum & luxuria, & crapula indies accrescenti-  
bus, essent inualida, & Morbi varijs inter se mix-  
turis implicarentur, ærumnarum illorum misertus,  
ducentis, plus minus, annis ante, maiore vi opus  
esse, duplique malo, duplicem cuneum adhibendū  
ratus, Primus ex omnibus memoria dignis (testante  
*Celso* antiquissimo Scriptore Rōmano) ab studio sa- De re  
pientiæ, disciplinā hanc Medicinæ separauerat, mul- med. l. i.  
tifarias medicamentorū præparationes, & composi-  
tiones præscribens. Post Hyppocratem autē *Diocles Isidor.*  
*Carystius, Praxagoras, Chrysippus, Herophilus & Erasistrat-* L. 4. Orig.  
*tus* ita Artem hanc exercuere, ut cum tanto damno  
in varias Sectas fuerit distracta, quanta cum utilita-  
te in tria hæc membra Diæticen, Pharmaceuticen,

d 2 &

## PRÆFATIO.

& Chirurgicen, diuisa. Prima huius distinctionis parte, & ultima relecta, de sola Pharmacia hic paulò enucleatius differendum.

Pharmacorum componendorum ratione ex supradictis intellecta, commixtionis eorum necessitas videri potest apud *Anicenn* in *Proem. lib. 5. Can. sum.*

1. *Aeti. Tetrab. 1 serm. 3. cap. 57. Chystoph. Georg. de honestis super Antidotar. Meſues. Nicol. in Antid. & in eiusdem Exposit. Ioan. de S. Amando &c.* Pro quorum testimonijis unus nobis sufficerit Galenus de *Compos. Med. secund. Gener. lib. 1.* Si simplicibus tantum medicamentis, „vniuersos preter naturam affectus curare liceret „nobis, numquam egeremus compositis : & in huius confirmationem narrat Aëtius tanquam rem

*Tetr. 4. grauissimam duobus Medicis sibi cognitis euenisſe, serm. 2. cap. 25.* quorum alter ob huiusmodi scriptorum (pharmaca componendi modos continentium) amissione, mærore contabuit, alter vero medicandi artem dereliquit: & Galenus , (vt ipsem̄ scribit loco supra citato) cum duo priores libri, qui in lucem exierant, de simplicium compositione conscripti , vnà cum alijs in Apotheca , quæ ad viam sacram erat , periſſent, Pacis delubro toto , & ingentibus Palatijs bibliothecis incendio conflagratis , viētus amicorum precibus, imo coactus fuerit eosdem illos de nouo recudere : & quod amplius est, horum commixtio-

nem

## PRÆFATIO.

nem tam necessariam fore sustinet, ut expressè dicat *De Com-*  
exterminandos esse Sophistas illos, qui medicamē-*pos. Me-*  
torum compositionē è medio tollunt. Ex quorum  
numero fuit *Asclepias*, & Discipulus eius *Themison*, *Lib. 2. de*  
vt referunt *Galenus*, & *Celsus*: etiam *C. Plinius non elem.*  
tam remedij tamen, quam ipsis Medicis infen-  
sus. Cum enim varias compositiones medicinales  
scripsisset *Philon Medicus* non ignobilis Hippocra-  
tem secutus, necessariam hanc artem acerimè ca-  
lumniatis est *Plinius* his verbis: postea inquit frau-  
des hominum, & ingeniorum capturæ officinas *Lib. 24.*  
inuenere istas, quibus sua cuique homini, venalis *cap. 1.*  
promittitur vita. Statim compositiones & mix-  
turæ inexplicabiles decantantur. Arabia atque In-  
dia in Medico estimantur, ulcerique paruo, Me-  
dicina à rubro Mari imputatur, ita ille; ante quem  
*M. Cato, & Pompeus Lenæus*, exemplaria Mithridatis  
Regis *de vi berbarum*, iussu magni Pompei (cuius po-  
sterior libertus erat) omnia Regia prædâ potiti, in  
Latinum sermonem transtulerant; quo demum  
tempore, *Plinius* se animaduertisse ait, scientiam *pol. Ver-*  
hanc ad Romanos peruenisse. His cauillationibus, *gl. de*  
quamuis in supradictis abundantissimè factum sa-*ter iu-*  
tis, duo tamen insignia, insignium virorum testi-*uent.*  
monia per modum corollarij adiicienda: primum *De Re-*  
erit Sapientissimi Platonis dicentis: Medicinâ opus *publ.*  
*Dialog.*

## PRÆFATIO.

„haberi, non vulnerum gratiâ, aut quorundam mor-  
borum per annum circuitum illabentium, sed  
„( nota) propter desidiam, & victum luxutiosum,  
„dum fluxionibus & ventis homines, velut palu-  
„des, implentur, ita ut elegantes Asclepiadas coë-  
„gerint noua morbis nomina imponere. Hæc Pla-  
to, quid mirum ergo, si & noua inuenire medica-  
mina. Rationem satis exactè ex probatissimis Au-  
uthoribus allegatam repeto: distinguenda esse tem-

*De cons. pora: de prioribus ait Boëtius.*

*Phylos.*

*Felix nimium prior ætas*

*lib. 2.*

*Contenta fidelibus aruis,*

*Met. 5.*

*Non inertii perdita luxu (nota)*

*Facili cum sera solebant*

*Ieiunia soluere glande.*

*Lib. 2.*

De huius verò temporis hominibus ait Clemens  
„Alexandrinus, quod videantur insatiabiles & solliciti  
„ciborum indagatores, ad delicias & voluptates suas  
„mundum irretire, sibilantibus sartaginibus vndi-  
„que circumstrepentes, & circa cochleare, & mor-  
„tarium, totam vitam suam consumentes, edaces  
„atque adeo omniuori homines. Ita ille: itaque

*Pedag.*

*cap. 1.*

*Diuersos diuersa iuuant: non omnibus annis*

*Corn.*

*Gall.*

*Omnia conueniunt, res prius apta nocet.*

„Medicina quondam paucarum fuit scientia herba-  
rum, quibus sisteretur fluens sanguis, vulnera coi-  
„rent

## PRÆFATIO.

„rent paulatim ; deinde in hanc peruenit tam mul-  
tiplicem varietatem, inquit decus Phylosophorum Epist. 95.  
„Seneca. Tunc nihil opus erat tam magna Medico-  
rum suppelleculile, nec tot ferramentis (Chirur-  
gia) nec tot pixidibus (Pharmaciæ) non erat ne-  
cessum circumspicere multa auxiliorum genera, cum  
essent periculorum paucissima : nunc vero quam  
longè processerunt mala valetudinis? has visuras  
voluptatum pendimus. En vnaminem Phyloso-  
phorum sententiam. Quid ergo ad Plinium? dicat  
Galenus nostri æui, *Francis Vallesius*: condonanda in-  
scitiae Plinij sua Grammaticalis garrulitas menda- *Phylos.*  
*sacra-*  
cijs plena. Sufficiat nobis, Post Hyppocratem, Phi-  
lonem, aliosque succedentes Medicos pro captu-  
ac scientia. quoque varias simplicium mixturas in-  
uenisse, scripto reseruasse, propriis manibus compo-  
suisse, & cum temporis lapsu visitandis ægris, confi-  
ciendisque pharmaciis non sufficerent, famulis suis,  
ac seruis particulariter medicamentorum prepara-  
tionibus instructis, hanc prouinciam committere  
incepisse circa Annum Domini, quantum coniçere  
potui. 80. 81. 82. nempe T. Vespasiani, aut Domi-  
ni temporibus, ex quo Speciariorum, Cocorumque nomē  
sunt adepti, vnde Galenus: Sicut Pedotriba est Gym-  
nasticæ minister, ita & Medici Cocus, nempe Phar-  
maceuticus. Cuius comparationis rationē explica-  
tius

## PRÆFATIO.

*De sanit. tuerib.* „tius lib 1. de Alimentis allegat: nā sicuti pedotriba  
2. „omnes luētas & frictiones ritē obire valet, absque  
„eo tamen quod virtutem ,aut sanitatem in illis  
„consistentem sciat, aut consideret, ideo assimilan-  
„di sunt cocis obsonia facere scientibus , minimē  
„tamen quid in ipsis optimum sit intelligentibus,  
„quamue facultatem ipsorum vnumquodque ad  
„sanitatem habeat non dignoscentibus, ergo ( con-  
„cludit , vt Miles artis Imperatoriæ , Pedotriba  
„Gymnasticæ , ita per comparationis consequens,  
Cocus & Pharmacopeus Medicinæ minister est.  
De quibus ( ne gratis dicta videantur ) amplissima  
testimonia curiosus lector inueniet apud Fuchsium  
*Instit. Medicin. lib. 1. cap. 5.* Manard. *Annot. in Mesu.*  
pag. 436. Iacob. Primeros. *de Vulgi errorib. lib. 1. cap.*  
11. Ioan. Ruell. *Epist. dedic. in Diosc. Interp.* Francis.  
Sanchei *Pharmac. lib. 3.* Raymund. de lasso Sebastian.  
Scrofam , Aloij. Mundell. Paul. Renealm &c.

Mole autem Romani Imperij suo pondere quasi  
satisfcente , cum & Medici ipsis , & eorum Seplasia-  
rij, Speciarij, Rhizotomi parabolani , & reliqui sub  
Medicorum signo militantes dispersi essent & ex-  
tincti , excellentissima hæc artium , in magno illo  
munidiincendio quasi sub cineribus sopia latuit ,  
paucissimishincjnde Medicis Halij Abbatे, Rhaze,  
Auicenna, Rabbi Abraham Benezra, & Ioanne Me-  
sue

## PRÆFATI O.

Sue circa An. Dñi 1162. caput suum in Arabia exerentibus; horum *Mesue* ex Regum Damasci prosapia oriundus ( quem quidam Ioannem Chrysostomum esse autumant ) Medicos visitationibus, ac seruitijs ægrorum impares esse considerans, omnium primus circa dictum tempus, *De Consolatione Medicinarum simplicium, & correctione operationum eorum Canones* composuit, ac in Pharmacopolarum gratiam integro volumine excudit, ex quo Medicorum *Euangelistæ* nomen est promeritus. Atque hæc verissima est, & genuina Pharmaceutices origo. Ex quibus facile collendum, quanta cum iniuria ingrati quidam, maximam hanc Medicinæ partem, ex Inuentorum, & institutorum suorum manibus auerruncare, & præcipuum huius scientiæ ramum, non sine notabili ægrorum detimento, & arescentiæ periculo, à suo trunco diuellere contati sint; vti amplissimè, & doctissimè nuper ostendit Clariss. Dominus *VVyon* in *Manifesto*, & libello supplice Regi nostro Hispaniarum in illum finem oblato; qui Rex Catholicus, tam perniciosa dilacerationi scientiarum occurrens, cunctis vniuersitatibus sibi subiectis de nouo mandauit expressè: ut Medicinæ Candidati tam in *Pharmacia*, quam *Chirurgia* ( quas natura iunctas & officio quoque copulatas, inertiam nunc aliquo vsque distractuisse

*Vide  
Georg. de  
Loneft.  
florent.*

*An. 1162.*

*Anno  
1647.*

e

con-

## P R A E F A T I O.

In vit. conqueritur Petrus Castellanus iuxta Regulam nuper-  
 Medic. rimè Bruxellis datam rigurosissimè examinaren-  
 Illus. pag. tur, vt antiquiorum orbitâ detenti Præceptorum  
 20. suorum vestigijs insistant, idque cum potestate am-  
 Anno plissima, cuncta quæ ad Pharmaciam, & Chirurgiam  
 1619. pertinent, liberè, semper, & vbiq[ue] exercendi, in  
 April. illum finem famulos alendi, officinas instruendi,  
 20. &c. Nam Veteres Medici Galeno teste, tanquam Duce  
 Lib. 1. militibus, & Reges subditis imperare voluerunt, nequaquam  
 Method. vero Gaetarum, & Tibiorum, & Phrygum, & Thracum  
 cap. 1. emptitorum seruuli ritu parere, atque obsequi. Ita Aristó-  
 Lib. s.v.a. telem artem Medicinæ exercuisse scribit Elianus;  
 riar. hist. & Aristophilem Theophrastus, idem & Medicis  
 Lib. 9. omnibus licere confirmat Georg. Christoph. Valerus  
 plant. Tract. de stat. Iuris & priuileg. Doct cap. 12. & 14. Gregor.  
 Tholosanus &c. Verum, ne Arte & stylo suo frustrati  
 Syntax. in tam magno numero Pharmacopolæ ferientur,  
 art. mi- æ griique præ Medicorum occupationibus debita  
 rab. lib. visitatione priuentur, à 100. aut 150. circiter annis,  
 28. cap. prudenter dissimulantes Medici, Pharmacopolas  
 35. passi sunt præparandi medicinas officio fungi, &  
       paucis arcanis remedij, secretisque cum integro ta-  
       men iure sibi reseruatis, solent nunc ( ex Symmachi  
 Lib. 10. consilio ) qui medicinam callent, cum iam forti Ysu in ma-  
 epist. gisterium prouehuntur, ac fiunt artis emeriti, proximis impe-  
       rare, ac feriata manu curationem iuuare præceptis.

Hæc

## PRÆFATIO.

Hæc sunt quæ de Pharmaciæ initijs habui præfanda; cuius Artis dignitas, ac præ ceteris excellētia, ex primæui institutoris, ex Auctoris, inquam, naturæ, celsitudine mensuranda, & personarum illam exercentium estimanda. Deum Opt. Max. non instituisse eam solum, sed & exercuisse, non vno loco sacræ paginæ testantur, hic enim est vnguentarius, qui curans mitigat dolorem, & pigmenta facit suauitatis, & vñctiones conficit sanitatis, & non consummabuntur opera eius. Hunc mundani Reges, & terreni Principes secuti, Tiberius Imp. referente Galeno, pastillos ad Herpetes composuit: Hadrani, & Iustiniani Antidota à Medicis celebrantur vbiique: Kabith Regis nonnulla ab Auicenna citantur remedia; quorum insignioribus, in posteritatis memoriam proprium etiam nomen indiderunt, ita Alexander Macedoniæ Rex, Auream Alexandrinam; Rex Ponti & Bithyniæ Mithridatium, proprio nominis titulo condecorarunt: Ita Lysimachus, Gentius Eupator, Climenes, Iacibussa, Kemud fecere, & plures alij apud Hyer. Bardum videndi. Quid Reges & Princes Medicinæ peritos fuisse commemoro, cum nisi tales Imperij gubernaculis possent admoueri, quare sceptrū recusans Hebræorum vates quamuis Regiæ stirpis & in aula semper educatus Isaias dicit Cap. 3. Non sum Medicus . . . nolite constituere me Principem puli.

In Medico Polit. cathol.

## PRÆFATIO.

puli. Hic idem tamen in spiritu Prophetico videns Christum collyrio ex luto & saliuia composito, ceci oculos illinientem , audiensque Præceptoris verba : exemplum dedi vobis ut quemadmodum ego feci &

Cap. 38. vos faciatis, Cataplasmate ex ficubus malaxato, Ezechiam Regem ( ex sententia Clarissimi Medici Petri Hispani, posteà sub Ioannis 22. nomine summi Pontificis, multa præclara in Medicina scribentis)

Theſaur. pauper. cap. 26. Pleuritide laborantem, sanauit : S. Paulus potionem instituit eius nomine in Antidotarijs Nicol. & Arnald. nuncupatam. Est in Insula Melita etiam terræ genus, quod passim aduersus serpentum morsus & viperarum, sub nomine Gratiae S. Pauli, distribuitur.

pag. 467. Lib 7. de Morb. Sub nomine SS. Petri & Pauli emplaſtrum ad pectoris vulnera describitur apud Gilbertum. Esdra compositio dicitur à Propheta huius nominis concinnata. Pandectarius Ceratum SS. Cosmi & Damiani allegat. Præter varia medicamentorum composita, sub Auspicijs Sanctorum confecta : quorum nulli, cum prisci ævi temporibus, innotescerent fidei lumine destitutis, & in illis tamen supra humanas vires latitare quidpiam animaduerteret Philon Medicus nobilissimus, cum Medicamenta quædam ad medendi vsum exquisitissima concinnaret, & Regias quasdam ( vt Plutarchus inquit) & Alexipharmacas potestates conficeret, eas, quod salutares, & diuinæ

## PRÆFATIO.

diuinæ quodammmodo sciret θεῖον χειράς, veluti adagio quodam, hoc est *Deorum manus*, appellare consueuerat, vti refert *Cælius Rhodiginus*; & in Auicennæ relatum monumentis scio, medicaminis genus dici *Donum Dei*, sicut apud Galenum est *Trochiscus* <sup>11.</sup>

*Lect. an-*  
*tig. lib.*

29. Cap.

*Jupiter*: & in vsibus hodiernis Antidotum quodam Panchristum Theodoricon, Manus Christi, Gratia Dei, Balsamum Christi, Aqua Angelica, Emplastra, vnguenta Apostolorum, &c.

Macte animis itaque Pharmaciæ periti, pone se quamini tam sanctos, ac illustres Prædecessores vestros: fortiter nobillissimæ Artis tam antiquum decus manu tenete, nec elabi finite, sed contra quoscumque splendorem eius ignorantia & fallacijs obnubilare conantibus, alacriter defendite, quod ut felicius succedat, Medicis vos socios iungite, manusdate, vis vnta fortior. Bellum proclamabimus, in quo vulnera non infliguntur, sed sanantur: prælium inibimus in quo languidi non marcescunt, sed reuiuiscunt. *Medicina contra dolores pro nostra imbecillitate confligit*, & ubi nos nititur subleuare, ibi nullæ diuitiæ, nulla potest dignitas subuenire ait Cassidorus. Archistrategus & Dux noster sit qui dicit: *Ego Deus Sanator tuus*. Disciplinam militarem, hoc est salutiferam procedendi normam præscribat Amplissimus Magistratus: Impostoribus, Sciolis, Lucripetis, tan-

*In form.*  
*Archiatr.*  
*lib. 6.*  
*vari.*  
*Exod. 25.*

e 3                    quam

## P R Æ F A T I O.

quam lixis, calonibus, & impedimentis omnibus  
reformatis: neminem huic militiæ adscribamus,  
nisi quem Medicinæ, & Pharmaciæ liquet paten-  
ter expertum. Actum est. Per iterata Senatus Edi-  
cta, per hanç Pharmaciam (cuius armamentarium  
abundanter instructum) tanquam per Caducæos,  
capitalem sanitatis hostem intrepide prouocamus,  
omni morbo intestinum bellum audacter indici-  
mus: Bellum, cuius victoria Medico Omnipo-  
tentis Gloriam, nobis honorem, Vobis emolumen-  
tum, omnibus denique adferet in perplexitatibus  
securitatem, optatum in morbis finem, & cum cor-  
poris sanitate, vitam tranquillam.



AD